Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.
Wien, 1802 Seite 1833
Quelle:
Copyright:

tentia ſalutari familiaribus, qui interfuerunt rixe, vbi eſt ſecutum homicidium, publica iuxta morem beneficium abſolutionis impendat. Job. de Palomar Auditor 18. marcij. Anno d. 1435. Negotium a tempore meſſis a. 1434. ſatis protractum. Sequuntur et variae aliae hujus Viri Deciſiones, Epiſtola ad Monaſterium aliquod de eſu Carnium diſtincta a Tractatu, quem de eadem materia ad *Johannem Scotorum Viennae* Abb. ſcripſit, item pia Precatio in uſum *Alberti* II. Imp. ipſo ejus anno emortuali 1439. compoſita, in qua inter alia orat optimus Princeps: *Omnes miniſtros meos fac omnem impietatem et injuſtitiam abhorrere et libenter et prompte iuſtitie et tuis beneplacitis miniſtrare* &c.

XIII. *fol.* 233. *Declaratio facta a M. Narciſſo* (Herz de Perching) *et domino ordinario Johanne Polzmacher* (Jur. Can. Prof.) *ex commiſſione Epiſcopi Patauienſ. ſuper certis difficultatibus in peragendis anniuerſarijs a fratribus monaſterij ſcotorum wyenne.* Recenſus variarum Fundationum et Legatorum, quae vel in deſuetudinem venerant, vel cum aliis commixta erant, vel de quorum perſolutione dubium erat. Unde hic praedictorum Virorum arbitratu definitur, ad quid deinceps teneatur Monaſterium; idque a. 1442.

XIV. *fol.* 236. p. 2. redeunt iterum Miſcellanea ad Forum Conſcientiae, Diſciplinam clauſtralem, Res conciliares &c. pertinentia. In his ſunt: *Modus breuis et utilis reformationis per M. Job. Nider ſacre theologie D. priorem predicatorum in Wyenna.* Pro *Sororibus ſ. Marie Magd. in Suburbio Wyennenſi de ordine penitencium*, quae habebant *ſtatuta antiqua ſororum ſancti Sixti rome degentium ord. pred.* ſed valde defluxerant. Bulla *Nicolai* V. 1452. *ſecundum quam Moniales Monaſterij ſancti Jacobi Wyenne habent auctoritatem eligendi ſibi confeſſorem*, lat. et germ. Bulla Indulgentiarum: *Vox jucunditatis* &c. promulgata *Baſileae* 1436. in *Seſs.* XXIV. ut extat Edit. *Venet. Collect. Concill. Labb.* T. XVII. *col.* 340. Quaeſtio a M. *Narciſſo Herz* in Scholis lecta: *Vtrum Contractus venditionis et emptionis cum pacto de reuendendo rem pro ſimili pretio venditori ad tempus certum uel incertum, quod vendens et emens interpoſuerunt, ſit vera emptio et contractus licitus. Conſolatoria epiſtola Nouiciorum docens eos, ne tentationibus fracti deſiſtant ab inceptis.* Exaratam puto a *Nicolao de Dünkelſpühl pro*, ut in calce habetur, *M. Thoma de ciſterſdarf pro tunc nouicio in kemniko* (Gäming) *ord. Karthuſienſ.* Binae Epiſtolae *Aeneae Silvii* tunc apoſt. a latere Legati, ep. *Senenſis ex noua Ciuitate* (Neoſtadio Auſtr.) prior *die 6. Febr.* 1454. Altera ſine die 1455. Prior incipit: *Venit ad nos pridie Michael puer tuus* &c. et ad quendam Doctorum *Viennenſ.* directa graviter de iis conqueritur, qui teneram Pueritiam ad emittendum votum ingrediendi Ordinem aliquem religioſum ſolicitant, ut anno 13. aetatis